

Constantius Gallum fratrem patruelem Caesarem 42
pronuntiat, sororem Constantinam illi coniungens.
Magnentius quoque Decentium consanguineum suum 2
trans Alpes Caesarem creavit. His diebus Romae Ne- 3
5 potianus, Eutropiae Constantini sororis filius, hortan-
tibus perditis Augusti nomen rapit; eum octavo die
vicesimoque Magnentius oppressit. Hoc tempore Con- 4
stantius cum Magnentio apud Mursiam dimicans vicit.
In quo bello paene nusquam amplius Romanae con-
10 sumptae sunt vires totiusque imperii fortuna pessum-
data. Dehinc cum se Magnentius in Italiam recepis- 5
set, apud Ticinum plures fudit incautius et, ut in
victoria solet, audacius persequentes. Nec multo post 6
apud Lugdunum coangustatus gladio occulte proviso
15 ictum pulsu parietis iuvans transfosso latere, ut erat
vasti corporis, vulnere naribusque et ore cruorem ef-
fundens mense imperii quadragesimo secundo, aeta-
tis anno prope quinquagesimo exspiravit. Ortus pa- 7
rentibus barbaris, qui Galliam inhabitant; legendi
20 studio promptus, sermonis acer, animi tumidi et im-
modice timidus; artifex tamen ad occultandam auda-
ciae specie formidinem. Eius morte audita Decentius 8
laqueo fascia composito vitam finivit. Hoc tempore 9
Gallus Caesar a Constantio occiditur. Imperavit annos
25 quattuor. Silvanus imperator effectus die imperii vice- 10
simo octavo perimitur. Fuit ingenio blandissimus.
Quamquam barbaro patre genitus, tamen institutione 11
Romana satis cultus et patiens.

Constantius Claudium Iulianum, fratrem Galli, honore 12
30 Caesaris assumit annos natum fere tres atque viginti.
Iste in campis Argentoratensibus apud Gallias cum 13
paucis militibus infinitas hostium copias delevit. Sta-14